



h.2



h.26,24.

22

INCLITI, E  
CELSISSIMA STIRPE, PRÆ,  
CLARISSIMAQUE INDOLE  
Principis,  
DOMINI AVGVSTI,

Vc  
2447

*Ducis Saxonie,  
Landgravij Turingie,  
Marchionis Misnie,*

Sacratissimorum Electorum,

CHRISTIANI F.  
AUGUSTI N.

<sup>AD</sup>  
*Academiam VVitebergensem  
accessus,*

<sup>AB</sup>  
ADAMO THEODORO SIBERO,  
Professore Eloquentiæ,  
*Gratulatione exceptus,*

Die XI. Cal. Maij.  
M D C I.

Typis Gronenberianis.



Vum primūm de tuo, Princeps Auguste,  
**Q**uin hanc Academiam adventu exauditus ru-  
mor esset, haud sanè dici potest, quid ille o-  
pinionum excitārit. neque verò necesse ha-  
beo in cuiusquam sensum inquirere: satis sit fateri  
de me ipso. cogitabam, rumor est, sed sine argu-  
mento, sine ratione, non alio quàm rumore nun-  
cio: id quod accidere quotidie nō ignorabam. nunc  
quum ipsa res consecuta sit, non possum facere,  
quin, in exoptata quidem, sed non æquè sperata re,  
totus exultem. atque utinam verba mihi suppete-  
rēt, quibus exprimere tantæ rei genus possem: pro-  
fectò ostenderem, nihil à multis annis factum esse  
illustrius, nihil quod magis bono publico fieri po-  
tuerit. ac prīmūm tibi, Princeps celsissime, Domi-  
ne clementissime, qua debeo, & valeo, animi ve-  
neratione, optima & secundissima quæque precor  
ac voveo, Deūmique præpotentem oro, ut numi-  
ne suo & ineuntis hujus ætatis, & totius vitæ tuæ  
instituta ac rationes pietate solidatas, doctrina cō-  
firmatas, sapientia perfectas, omni denique virtu-  
te animi, corporis, & fortunæ cumulatas, sanctas,  
& augustas esse perpetuò jubeat: deinde Academix  
nostræ, ipsique Reipub. plurimūm gratulor. quis  
enī aut tam sui nescius, aut rerum omnium tam  
imperitus est, quem lateat, quantum commodi ex  
literato & cordato Principe ad Rempublicā rede-

A 2 at?

at? nam qui existimant optimarum artium ac lin-  
guarum cognitionem ad quemvis potius de plebe  
& privatum, quam ad illustres genere & dignitate  
personas pertinere: næ illi in fœdissima sui ipso-  
rum, ac præstantiæ illius humanæ ignoratione ver-  
santur, nihil aliud meriti, quam ut cum sententia  
sua è vitæ civilis communione in ultimæ solitudi-  
nis barbariam deportentur. cuius rei quo minùs  
vel rationes plures allegare, vel autoritates lauda-  
re, vel commemorare exempla instituam, facit,  
qui omnium & exemplorum vim, & autoritatum  
pondera, & rationum momenta unus facilè obti-  
net, Alphonsus Rex Siciliæ. is enim, negante auli-  
co, nescio quo, literas decere virum principem,  
dixisse fertur, eam vocem bovis esse, non hominis.  
ô sententiam plus quam humanam! ô judicium  
planè divinum! & cùm Rege dignum, tum Rege  
Alphonso longè dignissimum: qui usù videlicet ac  
facto expertus esset, quantum Centauri ejusmodi  
bruta vox ab humano, & in homines imperio ab-  
esse deberet: dignus ipse Alphonsus non regno uni-  
us insulæ, sed omnino imperio, quā ambit ocea-  
nus, orbis universi. bono igitur & salutari tuo, tu-  
orūmque auspicio contigit, Princeps AUGUSTE,  
ut à teneris statim annis ad ingenii & doctrinæ cul-  
tum adhibereris, ut te non solum hominem, & inter  
homines esse recognosceres, sed etiam hominibus  
aliquan-

aliquando præfuturum animadverteres : quarum  
rerum commoda & felices tractationes non magis  
sine instructo doctrinis & prudētia animo esse pos-  
sunt, quām absque collustrante aērem lumine, ut  
dicere solebat Aristoteles, inoffensæ atque expeditæ  
progressiones. jam verò de hac Academia quid di-  
cam? est illa quidem per se, vely divinis parentum,  
& gentilium tuorum, ac tuis meritis, vel incompa-  
rabili doctissimorum, atque in omni disciplinarum  
genere, quæ fando nominari possunt, eruditissimo-  
rum, quibus à prima origine unicè semper floruit,  
copia ac proventu, ubique terrarum, quām ma-  
gnus est hīc orbis Christianus, celeberrima: tamen  
nescio quid rari & insoliti cumuli etiam nunc à no-  
vo illo præsentia tuæ accessu exspectat. etenim si  
reguli alicujus, ut hoc etiam latine dicam, neque o-  
pibus magnificentissimi, & genere certè atque na-  
talibus extranei commoratio in studiis non parum  
momenti afferre consuevit Academiæ illius nomi-  
ni, in quam ipsum propensio ad loci genium ap-  
pulit: qua tandem celebritate, qua dignatione, gra-  
tia, & autoritate hoc Athenæum cohonestari sta-  
tuēdum est ex ejus Principis commercio literario,  
qui ita hospes est, ut dominus sit, ita alumnum a-  
get, ut nutritorem ac parentem agnoscamus: qui  
fortunæ muneribus opulentissimos dynastas, natu-  
ræ dotibus summos principes, animi bonis reges

A3 ipsos

ipsos æquare videtur: cuius tanta & dignitas & in-  
doles est, ut de eo nobis summa omnia atque inge-  
tia augurio certissimo polliceamur. atque hæc pu-  
blica caufsa: quid nostra, ut sic dicam, privata, hoc  
est, Collegii philosophici? tantò scilicet æquius est,  
nos opportunissimam eam ob rem gaudere, quan-  
tò propriis Philosophiæ existimationem ea res at-  
tingit. est enim hæc in naturæ penetralibus sanci-  
ta, & in artium æmulationibus repræsentata lex,  
ut omnium rerum, tum quæ ab illa procreantur,  
tum quæ ab his perficiuntur, certa initia, justæ pro-  
gressiones, stati fines sint, quibus unumquodque  
suis partibus ac numeris compleatur. itaque ut il-  
la hominem nisi per debita incrementa & spatia ad  
perfectam ætatem non perducit: sic istæ, quemad-  
modum suis primordiis atque accessionibus con-  
stitutæ ab initio sunt, ita iisdem deinceps primor-  
diis & accessionibus artifices suos efficiunt: cuius  
generis in universo disciplinarum ambitu, quantus  
quantus est, Philosophia una est & parens, & ma-  
gistra. quo circa, Princeps AUGUSTE, & tuæ æta-  
tis captus, indolisque cultus is est, ut in primis ele-  
mentis ea, quod facis, fundamenta eruditionis ja-  
cienda tibi sint, quibus postea majorum doctrina-  
rum substructiones, ipsumque prudentiæ ac salutis  
publicæ fastigium imponatur. jure quidem. non e-  
nim excolendi ingenii modus & ordo aliis est, in  
princi-

& in-  
ingē-  
c pu-  
a, hoc  
us est,  
quan-  
es at-  
anci-  
a lex,  
ntur,  
e pro-  
odque  
e ut il-  
tia ad  
mad-  
con-  
imor-  
cujus  
antus  
& ma-  
e æta-  
is ele-  
nis ja-  
ætrina-  
salutis  
non e-  
est, in  
princi-  
pialis, alius in plebeiae, ac tenuis sortis homi-  
nibus: neque eruditioni solidæ robur suum consta-  
re potest, cui non constiterit rectæ institutionis ra-  
tio. quod utinam facere non tam paucis in mentem  
veniret: multis omnino partibus melius præclarifi-  
usque humanis cum rebus ageretur. at nunc ple-  
runque, ut quisque nostrum à bonis literis, latinis  
& græcis, remotissimus, à philosophia autem alie-  
niissimus, atque etiam aversissimus est: ita maxi-  
mè aptissimos nos censemus, qui ad sanctissimas  
gravissimæque tum disciplinas capessendas, tum  
res tractandas accedamus. verum neque huic voto  
spes, neque locus querelæ relictus videretur, nisi  
quantum desperationis ex hujus offensione suscipi  
solere scirem, tantum fiduciæ ex illius recreatione  
præsumi posse viderem. quis enim non ea cogitati-  
one consolandum se statuat, futurum, ut rectius in  
posterū atque perfectius consulat suis & publicis  
rationibus studiorum alumna natio ex equite pari-  
ter & plebe, quum audiat, ac propè videat, te ta-  
lem Principem, illa stirpe, illa indole, ita nunc in ru-  
dimentis tenuioris literaturæ versari, ut progressu  
& ætatis & industriæ cùm ad optima maxima in  
amplissimo illo divinæ humanæque doctrinæ ac sa-  
pientiæ censu pervenire, tum etiam aliorum in hoc  
genere facultatis censorem gravissimum agere pos-  
sunt: id quod Deus immortalis, fons & caput omnis  
sapien-

sapientiæ, bonitatis ac justitiæ, ratum esse etiam  
atque etim jubeat. atque hæc mihi in mentem in  
præsentia venerūt, quum gratulationis officio fun-  
gi apud te, Princeps AUGUSTE, vellem: in quo ne-  
que muneris mei partes, qui essem vestræ & ditio-  
nis civis, & Academiæ Professor, negligere, & satie-  
tatem ac molestiam orationis verbosæ effugere de-  
bui. quæ si exactioribus judiciis dictionis latinæ ap-  
paratu minùs satisfecerit; at affectu germanæ ac  
debitæ pietatis suæ hunc saltem fructum ferat sedu-  
litatis, ut tibi, Princeps AUGUSTE, animum no-  
strum virtutis ac laudis tuæ cupiditate ac studio  
mirificè flagrantem interea approbet, dum præ-  
conem etiam & prædicatorem aliquando,

Si tantum à tenuitate nostra exspe-  
ctandum sit, ostendat.



etiam  
em in  
o fun-  
io ne-  
ditio-  
fatie-  
e de-  
æ ap-  
næ ac  
fedu-  
n no-  
udio  
ræ-

ULB Halle

004 778 200

3



f

VDA7





h.26/24.

IN

CELSIUS

CLAR

DOM

Sacratiss

ADAMO

F



RÆ  
LE  
TI,  
im,  
RO,